

Vc  
2839



PL. 47. 33

Vc  
2839

VINEAM CHRISTI  
P E R  
COMPOSITIONEM  
PATAVIENSEM  
NOVO SOLE DONATAM


REDEVNTE ANNO SAECVLARI

IIT CC CI CI

# PIE CONTEMPLATVR

# CAROLVS HENR· ZEIBICHIUS

PHIL. PROF. PVBL. EXTRAORD.



**Q**uod Lutherus noster, recurrente ad finem vita, laudabiliter acta, praedixerat, fore, ut, se fatis subtracto, multi magnique in Imperio Germanico motus cieantur, id, conspirantibus monumentis, fidei praeditis, atque ad declarandos abditos consiliorum Diuinorum recessus compositis, verissime euenit.

Vix, placida beataque morte, in natali solo, extinctus fuerat Aeterni Euangelii Internuncius, ubi glisceribus a longo iam tempore in doctrinam emendatam odiis faces admouebantur, opera in primis Caroli Quinti, Imperatoris, consilia probantis Paulli Tertii, Pontificis, ad Coetus Euangelici perniciem promouendam, atque auctoritatem Tridentini Concilii in tuto collocandam, excogitata. Quo siebat, ut feruentis animi aestu utraque pars ad caussam suam defensitandam uteretur, ac, nouis nouarum litionum seminibus sparsis, tranquillitas publica, robore suo ac firmamentis priuata, iaceret. Haec nemini non cognita fatis atque perspecta erunt, qui, quantum ex bello Smalcaldico, quantum ex libro, Interim inscripto, iisque certaminibus, quae adiaphoristica dicitantur, turbarum olim diffidiorumque subnatum in Germania fuerit, ea, qua decet, expendere ratione voluerit.

At, cum in infasto illo bello, cuius mentionem feci, Smalcaldico eo res perduta fuisset, ut Ioannes Fridericus, Princeps Elector Saxoniae, cum eoque Philippus, Comes Hassiae Prouincialis, ab Imperatore captiui ducti, huius subesse viribus cogerentur, tantum ea res Mauritium, Electorem, perturbavit, ut, Philippi maxime, Soceri sui, sortem miseratus, fataque illius sinistra indignissime ferens, non solum Concilio Tridentino, a Paulli Tertii successore, Iulio Tertio, instaurato, se opponeret, uerum etiam, cum Socerum suum, omnibus licet consiliis usus, libertati redditum haud uideret, uehementiori in Caesarem impetu opus esse, iudicaret. Itaque omnes cogitationes suas eo reuulit, ut Imperatorem, precibus haud flectendum, bello inuaderet. Ad quam rem, ex uoto gerendam, foedere opus esse, arbitratus, cum quibusdam Imperii Proceribus, maxime cum Henrico Secundo, Francogallorum Rege, icto, missis ad Prouinciarum Ordines literis, necessitatem facti huic declarantibus, expeditionem suscepit bellicam, qua, uenientibus auxilio Guilielmo, Comite Hassiae Prouinciali, atque Albrechto, Comite Marchico terrarum Brandenburgicarum, complures Imperatoris urbes, ipsamque, aliquot dierum interuallo, Vindelicorum Augustam, bello subegit, quibus, absente Mauritio, Vlma adiictebatur, consimili fortuna capta. Interea, turbato Patrum Tridentinorum consessu, de die, Patauii agendo; consultabatur. Mauritius, ex itinere redux factus, Oenipontem proficisciuit, ubi Imperator, de securitate sua, quibus fieri poterat, modis sollicitus, commorabatur. Is, de instanti Mauriti aduentu certior factus, abiit, satius duxit, quam, aduentantem expectare. Itaque iter, Villacum in Carinthia suscipiendum, parabat, ita tamen, ut, priusquam illud ingredieretur, Ioannem Fridericum, carcere derentum, liberareret, ablata a latere ipsius cohorte Hispana. Quo beneficio laetus, Elector, torquem sibi aureum, cum eoque annulos, applicat. Tum Mauritius, Oenipontem ueniens, non tam iis, quae Caesaris, quam, quae Ferdinandi, Romanorum Regis, erant, parcendum, existimauit. Inde Patauium profectus, cum, praefente Ferdinando, pluribusque Principum personis, tum de dimittendo Philippo, Hasso, tum de rebus, ad exercitum fidei pertinentibus, disceptasset, factum est, ut Ferdinandus, Imperatorem Villaci salutans, illius ea de re mentem sciscitari, haud inconsultum putaret. Quo itinere confecto, ad Pacionem ipsam ueniret. Agit igitur ab una parte Carolus, Imperator, assistente Fratre, Ferdinando, Romanorum Rege, ab altera Mauritius, Saxonie Elector, multis prae-

praesentibus Procerum Imperii Delegatis, de dimittendo Philippo, Comite Provinciali Hasso, de indicendis Comitiorum solennibus, ad pacem terrarum Germanicarum stabiliendam, de Ordinum coniunctorum copiis, Ferdinando tradendis, ad bellum, aduersus Turcum parandum, maxime uero, de tolerandis Sacris Coetus, tam Euangelici, quam Romani, et relinquendo utriusque parti libero, quod dicitur, Exercitio Religionis

Tametsi autem tum acta tribus annis post transacta demum uideri possint, ob confectum eo tempore negotium Pacis, quae Religiosa nuncupatur, haud tamen, a uero deflectere me, existimo, si, ex eadem illa restituzione Pacis, Patavii facta, plurimum redundasse commodi in uniuersum, qua patet, Coetum Euangelicum, sive, ut significantius loquar, Solem spectari in ea nouum, dixero, amoenissimam Christi Vineam quaquasuerum illustrantem. Ac Vineae quidem uoce ubi utor, hac quid mihi uelim, haud existimo, obscurum fore. Est enim ea imago, perquam commoda atque elegans, idem exprimens, quod, communi loquendi genere, Ecclesiam dicimus. Doceat hoc, ex aetate ultima, Diuus Iacobus, qui, ubi Iudee, filio, Coetum nunciat, ex Ethnicis et Iudeis colligendum, euenturum esse, ait, ut ex Tribu hac oriatur, qui pullum suum ad Vitem liget, et filium asinae suae ad nobilem Vitem. Sic Regio Dadi animo occursat Dextra illa Diuina, quae Vitem plantauerat, ex Aegypto asportatam, quam curari, cupit, conseruari, protegi. Ac Salomo Coelestis, cum Sponsa suauissima sermocinatus, Vineas et Vites ore frequentius effert, ut certiores nos reddat, se, tum differentem, ueracum cum illa in Vineis fuisse, earumque amoena specie statum ei temporum Noui Foederis reprezentasse. Adde Iesaiam, Vatem, cuius stilo Vinea celebratur Messiae, pinguisimo in clivo planata, a lapidibus purgata, torculari instructa. Et, quid apertius, ipsius testimonio Seruatoris, qui de Vinea sua, cui operarios conductit, tanta claritate, quanta uerborum copia, differit, ut nemo nostrum facile existat, quem, quae uera imaginis illius ratio sit, praetereat. Nec dubium mihi relinquitur, quin Arcani quippiam, ad idem referendum argumentum, latuerit in Vite illa aurea, quae Templi olim Hierosolymitani Propylaon, ut dicebatur, sive Pronaon, exornauit, eundem, inquam, locum, quem splendidis Regum donariis, auro in primis Helene, Reginae, Candelabro, fulsisse, accepimus

Sed, huic Vineae, quam in Orbe, Christi doctrinam professo, deprehendo, Solem dari, non est admirandum. Ecquid enim salubrius fuerit alendis uitibus, coquendis borris, igne Solis temperato. Quo sit, ut uis quedam foecundans inesse Soli iure existimetur. Dimitto eos, quos, Mohammedis in doctrinam ac leges iurantes, ac superstitionem secutos antiquissimarum gentium, dulcedinis, nescio, quid quantumque, reperisse sibi uisus esse in ficto quodam Solis lunaeque coniugio, ex Corano intelligimus, quem ita hic explicare Gelaloddinum, ut cum Abulfaraii testimonio conspiret, Celeberrimus Vriemoetus scienter obseruat. Dignorem, qui audiatur, testem afferam, Mosen, Vatem Numinis, qui, haud amplexus commentum istud, fructus Solis praestantissimos, quibus terra Iosephi, foecunditate ceteras antecellens, in primis ferax sit, celebrat, in salutatione ultima, Tribibus imperrita. Vtrum uero ad hunc pertineat locum commendatio Solis, a Davide, Rege, profecta, qua cum Sponso confertur, ex thalamo suo egrediente, nondum satis assequor. Quanquam enim, relinquere exinde, putatur, et lucem Solis, et calorem illius, variis prodesse modis terrae, fructibusque, in ea prouenientibus, aduersatur tamen sententiae huic tecta nocturni temporis commemoratio, cuius rationem habuisse uidetur Scriptor Diuinus, et, quo nihil descendere commodi a Sole, uique illius foecundante, in terram nostram potest, quae demum sequitur, egrediente Sole in ortu suo. Ex quo, parum inesse in hoc loco, apparet, quod rei, de qua differo, praedium afferat



Vt Vineae imaginem quam elegantissime exprimit Orbis Euangelicus, ita Solem quendam nouum contemplari mihi videor, Vineae huic orientem, in rebus, Patauii olim gestis. Ecquod enim, et quantum, beneficium est, a ui liberari et poenis, a minis ac meru, Coetum, qui Sacra proficitur emendata. Durum est, armata lege adstringi ad amplectenda placita, virtute destituta, iugo subiici hominum, in inuestigando uero occoecatorum, in itinere ad Coelum via duci lubrica et fallaci, tenebris pellere lucem, commentis veritatem, effatis hominum sanctissima enunciata Diuina. At, quis est eorum, quibus memoriam repetere licet superiorum temporum, quem lateat, quantum fibi ea aetate indulserit Romana Ecclesia in flectendis ad nutum arbitriumque suum Diuinis Legibus, in grauandis hominum mentibus iugo statutorum, recens excogitarum, in ipfa, cum Ethnicismi, tum Iudaismi, caligine, fraudibus, opibus, armis, in Orbem Christianum reuocanda. Itaque in statu rerum, tam lugubri, tamque perturbato, fieri non poterat, quin, qui castra sequi Pontificis, illiusque Oraculis, uelut cuidam Diuini Numinis uoci, ac perpetuis doctrinae morumque monitoribus, obtemperare renuebant, in plura, eaque gravissima, incurrerent pericula, et, dum nulla ad deserendam priscam fidei regulam adiungi poterant, famae, opum, ac tantum non uitiae, facere iacturam cogerentur. Temporibus, tam turbidis, quorum ueram rationem, longum fore, enarrando persequi, unus ille, isque saluberrimus, Patauenis Conuentus maximam partem finem indixit

Adit Numen Sanctissimum Vineae Christi, quae tot tempestatum iniurias, ex quo plantata est, sustinuit. Protegat Mulierem, Sole ueftitam, quam Diuus olim Ioannes, maiestatis plenam, conspexit, illius in Diadema Stellas, adhuc conspicuas, propitius conseruer, nec, frangi animum eius, finat, multitudine dirarum, quas ab hominibus, aduersus Solem pugnantibus, a longo tempore pertulit, iis forte haud dissimiles, quae, cum Angelus ille, eidem Ioanni alio tempore apparens, phialam suam in Solem effudisset, in terra enunciabantur. Tueatur Sobolem, in qua procreanda illa quotidie occupatur, quo, Solis Iustitiae sub alas recepta, illiusque calore refecta, Christo se exhibeat a caligine mundi remotissimam, sanctissimo in eundem amore incensam, mentisque puritate, quae Amicam Christi decet, undecunque spectetur, insignem. Saluam esse, iubeat, Soleque rectam, GERMANIAM Vniversam, in summo Glorie, a MAIESTATE IMPERANTIVM profectae, fastigio collocatam, ut, si quando, belli pacisque uicissitudinibus exposita, aduersae fortunae acerbitudinem, in statu rerum turbido, ferre teneatur, hoc splendore laeta, hac luminis claritate redintegrata, feliciter respiret, nec, foribus hosti patefactis, suas unquam consumi cedros, palmas, uites, oleas, inter gemutum ac lacrimas animaduertat. Conseruet amplius, sua colluстрatam Luce, DOMVM, quam uenerabundus nomino, SAXONICAM, tot Gratiae Diuinae ac Numinis praesentissimi documentis insignitam, tot summis, communemque admirationem cienibus, Decoribus exornatam, ut cuncta terrarum Imperia Felicitati illius applaudant, omniumque in ea oculi desigantur. Eodem Solis beneficio frui, finat, Vineam nostram, quo quidem nomine ab Hebraeis Academiae, in iisque maxime Iahnenis, saluebantur, teste utroque Talmude. Sit haec curae eius quam commendatissima, quo Lux illius, in omnes Orbis partes sparsa, noua indies incrementa capiat, suoque splendore gauisa oculos aduersiorum quam validissime paeſtringat. Denique Coetum suum, demta Vineae terrestris specie, in eam transferat Vrbem, quae, ab Agno illustrata, luce Solis ac lunae haud eger, ut Solem Iustitiae suauissimum, cui uitam, florem, fructum suum, in acceptis retulit, sua in sede glorioſa constitutum, inter oblectamenta, non enarranda, intueatur

V I T E M B E R G A E  
P R E L O E P H R A I M G O T T L O B E I C H S F E L D I  
A C A D E M I A E A T Y P I S

**ULB Halle**  
007 650 876

3



UD 178





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-279118-p0008-3

DFG

FIG. 47.

Vc  
2839

VINEAM CHRISTI  
P E R  
COMPOSITIONEM  
PATAVIENSEM  
NOVO SOLE DONATAM


REDEVNTE ANNO SAECVLARI

111 CC CI CI

## PIE CONTEMPLATIVE

# CAROLVS HENR· ZEIBICHIVS

PHIL: PROE: PVBL: EXTRAORD:



Farbkarte #13

1

series

11

Cer

10